

Beneficus suis beneficus adversarii animum emollit.

Chryso.

Rex Geratis commotus est, ut quæres hominem, quem à tuo regno expulisti, ac multis exdamnis, & injuriis infectus: Isaac ea fuit animi nobilitate, ut Palestinis, à quibus tanta damna exceperat, nunquam intulerit malum, sed semper beneficus extiterit, ac multa benignitate hospitio exceperit, ut notat Chryso. homil. 52. in Genes. Id, quod Christus, ait, discipulis suis præcipiens, & admonens, dicebat, ne, solos diligentes diligentes, sed & inimicis charitatem exhiberent, hoc Isaac nunc multo antea implet, & tanta hospitalitate tractat eos, qui eum oderant, omnemque vindictæ cupiditatem animo suo excludit. Qui tam benefico animo erat insignitus, ut nunquam redderet malum pro malo, obstinatum Palestinarum animum emollit, ac æneum Gentilium cor edomæ, ut inde omnes ejus excellentiam indagantes, ejus quoque amicitiam, ac reconciliacionem quærant.

71. Matth. 10.

Ait Dominus suis Apostolis: Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum, Matth. 10. n. 16. Quis unquam bonus pastor mittit oves, inter lupos? Lupi crudeles hostes ovium, ipsas dilacerant, & comedunt. Quomodo ergo bonus Pastor, meos Jesus, & tamen oves suas mittit inter ferocissimos lupos? Et, quod magis est, ita disponit rem, ut & lupi trahantur ab ovibus, & eis subjiciantur? Intellige mysterium, Destinabat Dominus suas oves inter ferocissimos tyrannos, non ut ipsis tyrannis, eos persequentibus, nocerent, sed ut cunctis beneficerent, ut eos lacte suæ cœlestis doctrinæ nutrent, ac lana suæ sanctæ conversationis induerent. Et ubi tanta erat benignitas cum beneficentia tanta, promptè lupi trahendi, & capiendi ab ovibus erant. Totum pulchrè, & latè dixit Albert. Magnus. Mitto oves utilitate, qua utiles, non nocivi depopulatores fuerunt isilegati. Mitto lacte, ad alimentum, quo nutriuntur, qui modo geniti sunt infantes. Mitto vestimento sanctæ conversationis, quo induere debent homines suo exemplo. Et tunc lupi, natura lupina deposita, ab ovibus capi possunt.

Beneficentia obdurati animi emollescent, ac trahuntur

Alb. Magn.

QUESTIO X.

Quare Dominus præcipiat orare pro persequentibus, & calumniantibus.

72. August. Gregor.

MANDAT Dominus, orare pro persequentibus, & calumniantibus nos. In qua oratione id petendum est à Deo, ut docent D. Augustin. serm. 39. de tempore, & D. Greg. lib. 34. mor. cap. 16. ut ipsi respiciant. Ita discunt: Quid aliud pro inimicis orandum est, nisi hoc, quod Apostolus ait: Ut det illis Deus poenitentiam, & respiciant à Diaboli laqueis, à quo tenentur, ad ipsius voluntatem. Et idem D. Augustinus in Psalm. 108. ad illa verba num. 4. Pro eo, ut me diligere, detrahebant mihi; orandum esse ad Deum inter calumnias, ut animum nostrum, Deo miserante, vincamus, quo ferimur in ulciscendi cupiditatem, cum detrahitur nobis. Dum calumniis appetimur, orandum est pro calumniatoribus, ut respiciant; orandum pro nobis, ut Deus det sufferentiam, utque nostrum ulciscendi appetitum vincamus, atque ut veritas ipsa manifestetur, sicut Susanna oratione sua impetravit, Da-

August. Trin petenda in oratione pro inimico.

niel. 13. num. 42. Cor tamen pro calumniatoribus mandat orare, iniquitatis.

Respondeo primò, quòd hanc pro inimicis orationem tam insigniter Dominus suis commendat, ut per excellentiam, & sublimem injuriam sufferentiam, ac raram, & admirabilem inimicorum dilectionem; nec enim quid majus esse potest, quàm inimico, & calumniatori, non solum imprecari malum, sed omnibus viribus deprecari bonum, ac pro ipso ad impetrandum exorare Deum. Unde de hoc mandato eleganter dixit Tertullianus in Apolog. cap. 31. Scio, ait, Tertull. præceptum esse nobis ad redundantiam benignitatis, etiam pro inimicis Deum orare. Aded sublimè est hoc virtutis veltigium, ut videatur quadam Christianæ pietatis redundantia; quam humanum pectus per se capere non potest, nisi dilatetur, ac corroboretur cœlesti gratia. Deique auxilio: nam calumniatores, pro quibus orandum dicitur, inter omnium inimicorum genera sunt crudeliores, ut dicam quasi, sequenti; & tamen pro ipsis orare ad Deum (quod est magnum, & raram beneficium) hoc vires humanæ non præstant, sed solum exuberantia, & affluentia divinæ gratiæ facit: etsi in inimico adversum te crescit odium, & malignitas; erga illum in te charitas, & benignitas crescat.

73. Orare pro inimicis est felix eximia charitatis.

Orare pro inimicis quædam redundantia Christiana pietatis.

Si inimici malitia crescit, tu charitas.

Secundò D. Chryostomus lectm. Deum laudamus tom. 5. Fuit, ait, quisquam tibi injuriosus, ingemisce, ne maledictis incesseris: funde lacrimas, non injuria gratia, sed ob injuriam inferentis interitum: quemadmodum & Dominus tuus Judam deploravit; non enim, quòd cruci suffigeretur, desiebat, sed quòd se ille esset, ad sui perniciem, proditurus. Lasti te quisquam, aut contumelia infectus est; Deum deprecare, ut mox illi concilietur, & parcat: frater enim est, & tuum est membrum; cum illum videris vulnere mortali affectum; Damon enim illi plagam infixit, idcirco neque erit rursum per te exulcerandus, vel aliquo modo calcandus. Inimicus te opprobriis, & injuriis affecit; in lacrymas protumpe, non ob injuriam tibi illatam, sed ob injuriantis miseram conditionem; & ex illius tam misera sorte te obligatum, ac pignoratam agnosce, ut pro ipso Deum exores, frater enim tuus est. Qui enim injuriam infert, jam veluti extremo morbo laborat; ac proinde orationis spe ei subveniendam est. Vulnere mortali Damon illi plagam infixit: idcirco neque per te rursum exulcerandus. Vide supra num. 44.

74. Chryso.

Misera injuriantis conditio te impellat, ad orandum pro illo.

Tertiò D. Valerianus hom. 13. de bono pacis, Sine dubio, ait, hic Dominus conscientiam scilicet Valer. cordis admonuit; sciebat enim, dilectionem verbis compositam, ac licet lavgam, erogationis expensam geri frequenter ingratiam. Ita ergo te ostendit non invitum illam vindicem tui eleemosynam fecisse, si inimici tui plagas cœlesti medico supplicii oratione commendes, & proficis lachrymis auxilium salutis implores. Videbat Dominus, quòd sæpe inter homines amicitia, ac dilectio in quadam est superficiali apparentia, non verò in intimo corde residens. Ne quis cogitaret, quòd similem dilectionem, frequenter inter homines usitaram, ipse docebat; addit: Orate pro calumniantibus vos, eam enim dilectionem ipse commendabat, quæ non solum externis verbis, verum etiam intimo corde, & animo esset composita, atque ornata; ita ut toto interno affectu pro ipsis calumniantibus

75. Deus vult in nobis vult inimicorum amicitiam.

Vulnera illi delegenda, qui vult dare remedium.

76. Gregor.

niantibus à Deo bonum deprecaretur. Expende etiam ea verba S. Patris: Inimici tui plagas cœlesti Medico. Qui remedium præsentium malorum, ac calumniarum desiderat, ulcera, ac plagas ostendit Medico, qui medicamen valet adhibere; alteri verò dicit, qui nullum levamen potest sunt. Vice cap. 1. n. 55.

Hugo. Qui pro inimicis orat velociter impetrat.

77. Exod. 8.

Quartò D. Gregorius lib. 35. Moral. cap. 7. Pro semetipso, ait, poenitens tanto citius exaudiri meruit, quanto devotè pro aliis intercessit, plus enim valet preces suas efficit, qui has & aliis impendit, libentius quippe sacrificium orationis accipitur: quod in conspectu misericordis judicis proximi dilectione conditur. Quod tunc veraciter quisque cumulat, si hoc etiam pro adversariis impendat. Hinc Veritas dicit: Orate pro persequentibus vos. Quod totum breviter, & eleganter ex ipso Gregorio refert Cardinalis Hugo. Ille suas preces multum invalescere facit, qui eas pro inimicis effundit. Valè præpotens, & efficax est oratio, quæ pro inimicis offertur; & tunc nobis etiam facilius impetramus, cum oratio nostra est inimicorum dilectione permixta, velocissimè enim ad cælum volitat oratio pro inimicis effusa.

Lib. 11. August. Bonavent.

Oleaster. Oratio pro inimicis citè exauditur.

78. i. Reg. 18.

Cum tota Aegyptus sanarum plaga premeretur, ait Pharaon ad Moysen, ut pro ipso, ac populo suo oraret, Dixitque Moyses, ad Pharaonem: Constitue mihi tempus, quando deprecer pro te, & pro servis tuis, Exod. 8. dum. 9. Sed quomodo, Moyses, barbaro Regi dicis; ut ipse assignet tempus, ac determinet horam? Fieri enim poterat, ut Moyses orationem suam diffunderet, & Deus postulata non concederet, ut aliquando fit; & ideo in oratione maxime est instandum, & perseverandū, ut ex illis verbis Domini, Luc. 11. n. 8. Si perseveraverit pulsans, propter improbitatem dabit illi, colligunt Augustinus serm. 29. de verbis Domini, & serm. 171. de tempore. D. Bonaventura ibi, & alij, Quomodo ergo tam confidenter ait Moyses Pharaoni, ut ipse præscribat articulum temporis ad orationem? Oleaster: Docemur, quàm fervida sit oratio nostra pro inimicis. Oratio illa pro Pharaone, ac servis ejus, fiebat pro infelissimis hostibus; & licet aliquando oratio statim petita sua non obtineat; tamen certissimè erat Moyses, quod oratio pro inimicis absque ulla dilatione totum, quod optabat, velocissimè erat impetratura.

August. Euthym. S. Thom. Joan. Hier.

Tam efficax, & præpotens est oratio pro inimicis ad impetrandum tam ea, quæ aliis proficiunt, quàm ea, quæ tibi maxime grata, jucunda, ac utilia sunt. Degit per multos annos patens meus Elias in Orbe; transfert se ad torrentem Carith, & inde ad viduam Sarephthanam. Et tamen nullam hucusque revelationem circa Christi Domini humanitatem legitimus ei communicatam à cælo. Accedit tandem ad montem Carmeli, post peractum sacrificium orans. Ecce nubecula parva; quasi vestigium hominis ascendebat de mari, 3. Reg. 18. n. 44. In qua Christi Domini humanitatem ei fuisse repræsentatam, docent D. Augustinus serm. 201. de tempore. S. Eucherius 4. Reg. ibidem. S. Thomas in cap. 29. Isaac, Joannes Hierosolymitanus de Institut. Monach. cap. 31. Vehementissimo Elias æstuabat affectu videndi Christi Domini humanitatem. Cur usque modò visio tam grata, & per jucunda ei non conceditur, sed in hac occasione illa fruitur? Erat Elias

orans, ut ait Cardinalis Nicolaus Cusanus lib. 2. Cusanus Exercitationum, pro perfidis Israëlitis, pro crudelibus inimicis suis, qui, eum necare, ac interimere avidissimè desiderabant: & ubi preces effunduntur pro hostibus, non solum ipsi impetrant aquarum effusionem, sed etiam Elias tantum sibi promeruit, ut jam dignus sit habitus, qui videat Christi humanitatem in umbra, & figura, ut eam venerari, & revereri, quòd ei valde magnum, gratumque erat.

Cusanus

Qui pro inimicis exorat magna sibi impetrat.

QUESTIO XI.

Quare Dominus præcipiat, inimicos diligere odientibus benefacere, & pro calumniantibus orare, quàm potius è contrà.

NON sunt hæc inter se mutuo separanda, quasi non sit benefaciendum, ac exorandum pro inimicis; & quasi nos odio habentes, ac calumniantes, non sint diligendi: hæc enim omnia, nobis incumbit præstare, tam inimico, quàm odienti, ac calumniatori, quando opus est. Et ita ait Paulus Rom. 12. numero 20. Si inimicus tuus esuriverit, ciba illum. Quia tamen Dominus hæc tria divisit, dum ait: Diligite inimicos vestros, benefacite eis, qui oderunt vos; orate pro calumniantibus, & persequentibus, ideo hæc tria sunt indaganda. Pro quorum explicatione videnda sunt, quæ dixi quæst. 3.

79. Difficultas.

Primò hanc difficultatem explicant Tolet. in cap. 6. Luc. annot. 45. Lorinus in Psalm. 54. nu. 13. Tolet. Lorin. Solutio auctoritatis ad quæstionem. Proximo non est danda occasio iræ.

Secundò respondeo ad quæstionem. Hanc admirabilem Dominus dispositionem facit, qua vult, ut sui discipuli non minus in virtutibus crescant, quàm improbi in suis vitiis; ac proinde injuriarum augmenta, nostrarum virtutum incrementa sequantur; & tantum abist à nobis iræ spiritus, & odij, ut quo magis in nos executa fuerit adversariorum malitia, eo inde magis nobis detur occasio, ut charitas nostra dilatetur, & augeatur. Inimicus, cum sit ille, qui exterius inimicitiam profertur, diligatur: at nos odio habens, qui crudelior reputatur inimicus, ut

80. cap. 6. Luc. annot. 45. Lorinus in Psalm. 54. nu. 13. Tolet. Lorin. Solutio auctoritatis ad quæstionem.

Proximo non est danda occasio iræ.

81. Si vitium in improbis crescit, virtus in justis.

dixi citata *quest. 3.* cum odij venenum simulare in corde retineat, non solum diligendus, sed etiam est beneficio afficiendus, quod est *nullo majus additamentum*, ut ait Chrysostomus *homil. 19. in Matth.* Nam Dominus hic loquitur de beneficentia, quae procedit ex vera dilectione; & sic ipsam includit, & aliquid addit, ut notat Toletus *anno. 40.* At vero calumniator, qui inter inimicos omnes gravissimus est adversarius, si quidem omnia opprobria, malum etiam culpae in nos conjicit, summum charitatis opus erga eum habeamus, ut pro ipso ad Deum preces, & orationes effundamus. Unde D. Basilus *Orat. 9.* quae est de irasce ait: *Quae enim spectaculum, quam gawe, & ammirandum, ac sane nonnihil etiam ipsam humanam naturam exasperans, hominem multis conviciis facturum, & qui etiam vulnus in facie accepit, quique alia sexcenta perpassus est, quae & verbis, & re ipsa ad extremam infamiam tendunt, non ira incendi, nec ultionem parare, sed mansuetum pro eo, qui sibi injuriam intulit, preces adhibere.*

In persona Christi ait Psalmographus, ut explicant D. Augustin. D. Basilus, S. Hieronymus, Theodoretus, Incognitus, & alij. *Pro eo, ut me diligere, detrahebant mihi. Ego autem orabam* Psalm. 108. num. 4. Cum meus Jesus in Cruce penderet, inimici calumniabantur, & detrahebant: *Prater eum blasphemabant eum.* *Matth. 27. num. 39.* Ipse autem pro eis orabat ad Patrem. Augustinus ad locum Psalmi: *Ipse dicebat, Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt, quoniam in profundo malignitatis reddebant ipsi mala pro bonis, ille in summo benignitatis reddebat bona pro malis.*

Valde gloriosa est, & praerexcellentia dilectionis, benignitatis excellentia, ut quanto magis adversarium malitia crevit, tanto magis donis, ac beneficiis charitas explicetur. Ait Regius Vates Psalm. 80. num. 16. *Inimici Domini mentiti sunt ei, & erit tempus eorum in saecula. Cibavit eos ex adipe frumenti: & de petra melle saturavit eos.* Sermo est ad litteram de populo Israelitico itinerante per desertum, ut est vulgaris expositio D. Basilij, Augustini, Theodoretus, Incogniti, Lyrani, Euthymij, Hugonis, Genebrardi, & aliorum. Dicuntur autem Judaei inimici Domini, seu, ut ex Hebraeo legit D. Hieronymus, *odientes eum*, quia dum recesserunt a lege Domini, facti sunt inimici ejus. Et dicuntur mentiti, quia multoties non steterunt promissis de servandis ejus praeceptis; sed potius saepe contra Deum locuti sunt. *Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto? Male de Deo locuti sunt,* Psalm. 77. v. 19. Hos tamen, cum Dominus traduceret per desertum, cibavit, & aluit caelesti manna misso de caelo, quod tantis encomiis extollitur in Scriptura, & dulcissimam aquam de duro saxo scaturire fecit. Et tamen Christus Dominus amicis suis, eum per desertum sequentibus, panes, hordeaceos, & paucos pisceulos praebuit, *Joan. 6. num. 6.* Cur, Domine, inimici tui, & qui oderunt te, ac male de te locuti sunt scabissimum Angelorum pane saturantur; amici vero pane humilij, ac hordeaceo? Vult Dominus hanc gloriosam benignitatem, ac beneficentiam in inimicos suos exhibere, ut si in tantum excrevit eorum malitia, ut essent inimici & odientes, ac odientes eum, & ejus calumniatores, in tantum se divina charitas explicaret,

ut eos caelesti aleret cibo, ut ita divina bonitas maxime exaltaretur, & impoenitens cor eorum cunctis fieret manifestum, siquidem tot, tantisque non valuit beneficiis emolliiri. Palatius in cap. 5. *Matth. Hanc gloriam sibi comparat divina dilectio, quod eos exaltat alium, qui lapsi erant foedius. Fortissima est Dei nostri dilectio, attingens a fine usque ad finem. Quam eleganter hoc dictum est in Psalmo: Inimici Domini mentiti sunt ei, cibavit eos ex adipe frumenti, & de petra melle saturavit eos: cum tamen amicus dederit panes hordeaceos, & pauculos pisceulos.*

QUESTIO XII.

Si inimici sunt diligendi, estque eis benefaciendum, quando saepe in ipsos Sancti malum imprecabantur?

QUAMVIS praeceptum Domini sit, quod Inimici sunt diligendi, & eis benefaciendum, non tamen inde est prohibitum, ut notant D. Augustinus *Epistol. 48.* Chrysostomus *homil. 47. in Matth.* alteri malum inferre, seu aliquid malum optare justitiae zelo, propter bonum commune, vel ad utilitatem ipsius delinquentis, vel ad correctionem, & emendationem aliorum, ut faciunt iudices, reos punientes. Sicut enim Medicus membrum scindit, non quia in odio habeat infirmum, sed quia ipsum diligit, tamen illud excutit ad sanitatem totius corporis; sic & aliquando licet aliquid malum temporale optare propter bonum spirituale animae, vel propter conservationem totius corporis reipublicae, zelo justitiae. Et in hoc sensu dixit Paulus maledictionem Senatus praesidentis: *Percutiet te Deus, paries dealbate,* Act. 23. num. 3. & 2. *Timothi. 4. num. 14.* contra Alexandrum Ararium: *Reddat illi Dominus secundum opera ejus.* Et Elias 4. *Reg. 2. nu. 10.* quando contra quinquagenarios protulit: *Descendat ignis de caelo, & devoret te.* Omnes haec maledictiones erant plenae justitiae zelo.

Unde recte infert D. Augustinus *lib. 1. de doctrina Christiana, cap. 25.* licitum esse, desiderare quosdam iniquos e medio auferri, ne multis aliis noceant, quia, ut recte ait S. Pater, non est eos odio habere, sed plus diligere bonum commune, quam privatum, quod ipsa ratio naturalis faciendum docet, totum parti praefendum esse. Constat ergo, ut bene docet D. Gregorius *lib. 4. moral. cap. 6.* quod illud maledicere, ac malum optare, est prohibitum, quod non ex zelo justitiae, aut boni communis, sed ex vindictae livore, aut odio, seu ira procedit.

Tria contra hanc doctrinam objicit D. Augustinus *lib. 1. de serm. Domini in monte cap. 22.* & *serm. 59. de tempore,* quae omnia claritatis gratia breviter pono, & resolvo. Primum. Quia in Scriptura saepe sunt multae imprecationes contra iniquos, ut Psalm. 66. *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum;* & multa alia, quae ibi, aliisque locis dicuntur. Respondet S. Pater, quod sunt dicta spiritu prophetico, quo praenuntiantur ea, quaeventura erant. Quae solutio est vera, & ira multoties similia sunt prolata in Scriptura. Et etiam

Chrysof.

Tolet.

Basil.

82. August. Basil. Hieron. Theodor. Psalm. 103.

Matth. 27. August.

83.

Psalm. 80.

Basil. August. Theodor. Incogn. Lyran. Euthym. Hego. Genebrard. Hieron.

Psalm. 77.

Gloriosum, & excelsu valde inimico, ac odienti magnum praestare beneficium.

Palatius

84.

Abulen. Chrysof. Zelo justitiae ac propter bonum commune potest alicui malum imprecari.

Act. 23. 2. Tim. 4. 4. Reg. 1.

85.

August. Licet aliquando optare, ut iniqui e medio auferantur.

Gregor.

86.

August.

Psalm. 66. Propheta sui spiritus multa mala futura praenuntiabant.

etiam

etiam Sancti illa dicebant per modum correctionis, & reprehensionis illorum, qui arguebantur; inque aliorum utilitatem, qui talia audiebant, ut ipsi vel emendarentur, vel a similibus caveant.

Secundo objicit D. Augustinus illud *Joan. 1. cap. 5. num. 16.* *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis.* Ergo quando calumniatores committunt peccatum ad mortem, non est orandum pro illis. Supra hunc locum multa congerunt Recentiores, ut videre est, apud Benedictum Justinianum, Cornelium a Lapide, & alios. Quod ad nostrum intentum pertinet, considerato textu Joannis, facilis est solutio. Ait Joannes. *Quisquit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, perat, & dabitur ei vita peccantis non ad mortem. Est peccatum, ad mortem, non pro illo, dico, ut roget quis.* Non prohibet Joannes, orare pro peccante peccatum ad mortem; sed tantum ait: *Non dico, ut roget quis;* nam antea dixit pro peccante non ad mortem orandum esse cum fiducia, quasi nos certos faciens de impetranda vita pro eo: at vero de peccante ad mortem non sic dico, ut rogetis, quia impetrationem non promitto, nec de ea vos certos facio; non tamen prohibet pro tali orare.

Tertio objicit Augustinus illud *Apocal. 6. num. 10.* ubi sancti Martyres clamant ad Dominum: *Vindica sanguinem nostrum.* Ergo videtur contra suos persecutores orare. Respondet Augustinus *citatis locis,* quod sancti Martyres non petebant vindictam contra homines, sed contra regnum peccati, quod exorabant everti, & destrui: nam ab hujusmodi regno peccati, & idololatriae in Ecclesia multae factae sunt persecutiones, haec ergo mala volebant auferri. Aliter explicat Chrysostomus *in Psalm.* quod vindicta, quam sancti Martyres petebant, nihil aliud est, quam tyrannorum confusio. Petebant ergo, ut Deus miracula faceret, & ita potentia Christi manifestaretur, ut ejus inimici confunderentur. Et hanc adversariam Christi confusione, vindictam sui sanguinis dicunt, quia non tam passionem, ac mortem suam, quam, quae in Christum jactabantur, blasphemias sentiebant, juxta illud Psalm. 68. num. 10. *Opprobria exprorantium tibi occiderunt super me.*

87. August. 1. Joan. 5.

Justinian. Cornel.

Legimus sensus.

88. August. Apoc. 6.

Chrysof.

Psalm. 68.

QUESTIO XIII.

Quid in hac doctrina tradat Christus Dominus ex praecepto, quid ex consilio?

89. Tertia dicit Christus Dominus, Primum: *Diligite inimicos.* Secundum: *Benefacite.* Tertium: *Orate,* quid in unoquoque sit ex praecepto; quid ex consilio, est inquirendum, ac breviter explicandum; nam hoc exacte disputare, pertinet ad materiam de charitate.

90. Ad primum. *Diligere* duo dicit: primum, non habere odium; secundum, habere positivum dilectionis actum. Quantum ad primum, ex praecepto charitatis tenemur, non odisse inimicos. Haec resolutio est vera doctrina Catholica, ut patet ex *quest. 1.* Nam inimicus est proximus, odium autem proximi est intrinsecè malum, est enim odium rei bonae, & per se amabilis. Loquimur hic de inimico, non formaliter, quae iniquus

Inimicus non est odio habendus.

& peccator est, sed quatenus est homo: nam culpa, & vitium potest haberi in odio.

Secundo. Ex praecepto charitatis tenemur, actu positivo amare peccatores, & inimicos. Patet ex verbis Christi: *Diligite inimicos vestros;* quae verba non solum continent consilium, sed etiam praeceptum, ut exponunt communiter Pates, Chrysost. D. Chrysostomus, D. Augustin. D. Hieronymus, August. D. Paschasius, S. Valerius *homil. 12. & 13. de bono pacis,* & alij. Et docent Concil. Carthagin. I V. cap. 93. & Agathen. cap. 22. Nam inimicus est proximus, & capax beatitudinis; ergo diligendus. Vide *q. 1.*

Tertio. Ex vi hujus praecepti solum tenemur, per se loquendo, praestare communia & generalia signa amoris erga inimicum, eo modo, & tempore, quo ad alios homines: nam ex genere suo mortale est peccatum, a communibus beneficiis, auxilijs, & orationibus, ac benevolentiae signis inimicum excludere; talis enim exceptio, odij est, & inimicitiae signum, ac parit scandalum. Ita docent D. Thomas 2. 2. *quest. 25. art. 8.* & Navarr. 9. Sylvester *verb. charitas, quest. 6.* Navarrus *cap. Sylvester. 24. num. 75.* Suarez *disp. 5. de charitat. sect. 5.* Suarez *num. 6.* Dixi, per se loquendo, quia per accidens ob vitandum scandalum, vel signum odij, tenemur, aliquot peculiariora signa exhibere inimico. Verbi gratia. Per se non obligamur ad salutandum inimicum, quia hoc non tenemur praestare erga alios; tamen per accidens ob vitandum scandalum attingimur ad salutandum, ut docent citati auctores, & Cajetanus, Bagnoz 2. 2. *quest. 25. art. 9.* Suarez *al. eg. num. 8.* Reginaldus *lib. 17. Suarez. num. 124.* Bonacina *de charitate disp. 3. quest. 4.* Bonacina *p. 3. num. 3.*

Peculiariora vero dilectionis signa, ut est conversatio, vel rei alicujus donatio, consilium est, non autem praeceptum, ea inimico exhibere, nisi aut talium signorum privato spirituali inimici noceat saluti, aut aliquid grave inde temporale damnum resulter; quia his stantibus, talia peculiariora signa exhibere, praeceptum est, ut docet Toletus *in cap. 6. Luc. ann. 1. 38.* & auctores supra citati.

Ad secundum, & tertium, *Benefacere, orare,* idem proportionaliter est dicendum, ut docent auctores citati. *Benefacere* enim duo dicit: primum, non malum facere, nec reddere malum pro malo; quod est de praecepto modo superioris *quest. 1.* explicato in principio. Secundum, *Benefacere* dicit facere bonum positivè. Et tenemur ex praecepto, a communibus beneficiis, sicut etiam a communibus orationibus non excludere inimicum, ut jam dixi *in hac quest.* Quantum vero ad particularia beneficia, ea conferre inimico, aut odium habenti, si extremam, aut gravi necessitate laborat, seu aliqua scandalum intervenit, praeceptum est. Extra hos casus vero, consilium, sicut & peculiariora orationes pro calumniatoribus facere.

*Matth. 5. n. 45.* Ut sicut filij Patris vestri qui in caelis est, qui Solem suum oriri facit super bonos, & malos & pluit super justos & injustos.

91.

92.

D. Thom.

Navarr.

Sylvester.

Suarius.

Cajetan.

Bagnoz.

Reginald.

Bonacina.

94.

Quid sit de praecepto quantum ad beneficentiam, & orationem.